De singulari et accuratiori methodo hydropis medendi, sanandi Dissertatio

Joannis Francisci Ubetii, #
In Regio Taurinensi Athoeneo
Academici Chirurgiæ Collegii et
Arcadiæ Romanorum Acadæ.
Socii Conscripti.

Par M. ubezio, ~~[illegible]~~ du college Royal de chirurgie dans ~~la Royale~~ l'université de turin, et de l'academie des Arcades de Rome

Persæpè mihi perpendenti, cur inter aegrotos hydrope laborantes, tam pauci suam recuperent sanitatem, visum est alias medendi rationes inquirere, quam quæ plerumque adhibeantur. Non sum ignarus ab insuperabilibus obstructionibus, ceu a scirrho veteri, ab interno abscessu, nec non à resolutione nervorum, quandoque hydropem pendere: quibus in casibus scio remedium omne inutile prorsùs esse, plerumque etiam et noxium evadere: tunc enim sola vi morbi viscera comm. punitur, ipsâque remediorum acrimoniâ oritur gangræna ac demum acceleratur mors paracentesi. Sed ab hisce insanabilibus morbis mentem in præsentiarum abstrahere juvat. Invisendi hydropicos præsertim in Nosocomiis frequens mihi se obtulit occasio, simul atque animadvertendi remedia generatim aperientia, purgantia, diuretica minimo quidem levamine perrarò adhibita fuisse, ut plurimum, nullo... Quorum autem hic tristis admodum recordatio me abripit? Cl.mi nempe viri R. hujus Acadæ. Socii Ambrosii Bertrandi: dilectus qui eram ejus discipulus, quinam optimi Magistri amantissimi exemplum afferam, quin summo dolore afficiar?

Exquisitis studiis, et exantlatis laboribus fractus vehementer debilis evaserat, visceribus cæterisque vitæ organis viam internæ hydropi

Augustissimi Sardiniæ Regis Alumni, et stipendiarii.

sternentibus, totum sibi corpus infirmari, hydropemque in pectore fieri sentiebat. Meracis vinis languentes vitæ vires reficere incassum curabat; serosa e pulmone lympha effluebat in cavum pectoris; gravior idcirco fiebat respiratio, et laboriosior; potus ei præbebantur educti e vegetabilibus quamplurimis quæ aperientem virtutem diureticam habere dicuntur, ut urina majori copia flueret, quod quidem fieri videbatur, sed permodico levamine. Unde aquæ guttatim stillabant in abdominis cavum; tunc purgantia fortiora multum aquæ eduxerant; veruntamen altera die majori aquarum copia venter intumescere videbatur. Postremo ad paracentesin ventum est, haud infausto, ut putabatur, eventu: quamobrem in Castro Regio Montiscalerii, trium pene milliarium spatio ab Augusta Taurinorum, sicciorem, puríoremq. aerem adversus meridiem quæsivit æger cui vitæ vires paullo melius se se habere visæ sunt. At, revera hydrope vix, ac ne vix quidem parum imminuto, urbem rediit statimque sensit, majori, quam prius copiâ aquis repleri abdomen, ob quam rem iterum ad paracentesin itum est, sed fere nullo solatio. Pro extremo remedio morbi, crura, ut aquæ hinc effluerent, secta sunt. Verum quam ipsemet ægrotus, ab hisce sectionibus oriundam prædixerat, in artubus gangræna supervenit, ac demum concivem optimum, doctissimumque virum prematura mors (proh dolor) abstulit.

Verumenim vero, ut ad rem veniam, id statim una cum doctissimis artis Præceptoribus statuendum mihi est, primum in morbis causæ rationem, a qua morbi ipsi naturam sortiuntur suam, investigandam esse itaque iccirco morborum curationem instituendam, respectu habito ad causas, seu modos quibus iidem morbi producuntur: quod efficere conabor rationes ipsas, hâc methodo peculiari medendi hydropem, oportunis stipatas observa-

tionibus

stionibus expendens, ita tamen, ut copiosior, ac
nimius minimè sim; quod, ipsa me prohibet
reverentia, qua erga tantos viros afficior,
eximios in arte Magistros, coram quibus, quo-
cumque indulgentia in praesenti sum dicturus.

Compertum vobis exploratumque est in hydrope
serum effundi per tunicam cellulosam, deinde
in communes cavos pectoris, vel abdominis,
atque etiam in alias partes, idque fieri per
extrema arteriarum; tum quia sanguinis tex-
tura ita vitiatur in hydropicis, ut serum
et lympha, plus quam par est fluidiores
facilius, et majori copia diffluant per oscula
vasorum; tum quia vis mechanica cordis
et arteriarum debilitata minori impetu
pellit fluida ~~contenta~~ seque in praesenti
statu ita moventia in vasis, ut vel proprio
pondere deorsum ferantur, vel a data porta
ruant in communes cavitates.

Ego vero hanc praesertim ascitis naturam
indolem, modosque, quibus interdum nonnulla
afficiuntur corpora mecum ipse considerans,
post varias observationes, quibus diligens
indulsi; id arbitratus sum, satius nempe
esse aquarum absorptionem exigere,
quam earum eductionem instituere, para-
centesi adhibita: hâc illam longè praestare
esseque utiliorem. Siquidem animadverti
aegrum, eductis aquis, paullo quidem melius
se se habere visum fuisse; at cum paullo
post ejus venter iterum turgeret aquâ
iterum etiam ad paracentesin ventum
est; quo denique factum fuit, ut viribus
vitae jam jam fractis, tum morbi diuturni-
tate, tum aquarum pondere obrutis, tandem
aliquando aeger ipse occubuerit. Cujus quidem
innumera pene exempla in praxi medicâ
cuilibet videre est: atque ausim asserere
hydropem, de quo sermonem instituo equidem
posse feliciter curari, modo languidae cordis
et arteriarum vires refocillentur, sustineanturque

sicco cibo, at tamen modico; quo tempore æger ab omni potu, præsertim vero aqueo, abstineat necesse est; siquidem diametris excedentibus venarum diminutis sanguinis circulus liberior evadet, atque ipsæ proinde aquæ necessario absorbebuntur in venas, ipseque tandem hydrops evanescet. Perbelle Venusinus vates (a)

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit, nisi caussa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.

Jam vero ut venæ absorbeant aqueos seu serosos humores per tunicam cellulosam effusos, vel in cavitates elapsos, necesse est ut cordis vires augeantur, minuenturque diametri venarum, quarum vim systalticam compertum est esse in ratione inversâ earumdem diametrorum; hæ vero plus minusve augentur ratione quantitatis siquidonum in venis, cujus ipsi humores in eadem potus ratione sunt, ac alimenti aquosi quibus utimur.

Labente sæculo sextodecimo nonnulli Medicinæ Professores opiniosissimi excogitarunt humanæ machinæ sanitatem in summâ sanguinis fluiditate consistere, usumque propterea induxerunt potionum tepidarum quo imo abusu nervorum vires, plus nimium debilitabantur; quo circa factum est, ut nati inde numero pæne infiniti in præsentiarum pœnam luant vitiorum paternorum. Magnus quidem Boerhaavius errorem hunc detexit saniorenque doctrinam instituendo eumdem apprime expugnavit: verumtamen videmus etiam nunc valetudinarios juxta quorumdam præscripta Medicorum antiquioris usus erronei fautorum, opinantium sanguinis densitatem omnium hujusecemodi morborum caussam esse, potiones continuare theiformes, multosque idcirco morbos in viscera secum ferre, speciatim vero affectiones hyppocondriacas, melancholicas, cachecticas, e quibus ipsemet scaturit hydrops.

Hinc

(a) od. 2. lib. 2.

Hinc facile obviam fit quantum nimius potulentorum usus noceat litterarum cultoribus, aliisque sedentariam degentibus vitam, ut plurimum debilibus; quum eorum morbi non utique à nimis denso, sed à sanguine imò nimis tenui oriantur. Hi siquidem fibras habent molliores, parum exercent vim muscularem, quo fit ut sanguis rarior evadat, ejusdemque elementa aliquando etiam dissolvantur. De quâ quidem re profecto non est ambigendi locus, quoniam si rustico è venâ mittatur sanguis, eodemque tempore idem fiat studioso viro solitario, plerumque videmus à primo dari sanguinem densum, tenacem atque etiam inflammatorium, fulgentemq. fusco, ceu rubro colore: ab altero vero vix rubentem, ac veluti lotum subpallidi coloris, itemque mollem, aqueum, gelatinosum haberi sanguinem.

Animadvertimus in debilibus circulationem lentam progredi, sanguinem morari in vasis, vasaque ipsa obstruere, non utiq. in ratione densitatis, sed potius debilitatis eorumdem vasorum. Hæc autem ipsa debilitas nonne major evadet a potu aqueo, ob quem stomachus primo male afficitur? tum autem humores gastrici à naturâ parati ad implendam ciborum digestionem disperduntur ab extero potu; cumque suis proinde muneribus haudquaquam fungantur, malæ hinc digestiones fiunt, fibræque stomachi musculosæ nimis extensæ interea dolent, ac pedetentim amittentes vim contractilem sibi propriam nequeunt se se exonerare contentâ massâ cibariâ, quæ uti grave pondus habetur in stomacho, à quo pondere, ut liberentur aliqui, multum aquæ bibunt, in caves viscerum inferiores, alimenta nondum digesta, trudentis, dejicientis: ex quo grave inde exsurgit malum, pejusque fiet, si aqua sit calida, quæ dum fibra-

rum

rum tonum magis, magisque arcet, ac fere destruit, internos etiam ventriculi parietes exuit mucido humore gastrico infaustamque proinde torminum stomachalium originem praebet. Hinc obiter animadvertere opportunum interim erit aqueas inter potiones, eam plurimum nocere, quam a Theae foliis (quae saeculo abhinc Sinenses, et Japonenses ad nos mittunt in nostram utique perniciem) inconsulto parant, quin etiam intemperanter nonnulli bibant. Enimvero thea in primis vitales in stomacho vires delet, dein in viscera progrediens ea plus nimium laedit, ab hisce vero transit in sanguinem nervos adgreditur, totamque inde humanam machinam debilitat. Quamobrem autumarem praestare a Principibus Europeis legem ferri, ne has in regiones ejusmodi theae folia ulterius transferant sal quoddam acre, et corrosivum continentis, cujus caeteroquin proprietas adstringens, si qua est, per infusionem in aquâ calidâ amittitur, in cavis vasorum seu viscerum solidiores partes salinas, quae nervos afficiunt relinquente, dum per urinas, et sudores effluit; non secus ac evenit in viis urinariis, cum depositâ urinarum saburrâ oriuntur calculi.

Itaque vasorum debilitas, vel corporis constitutioni perinde propria tribuatur, vel per accidens potius adveniens, vel etiam elapsi jam morbi veluti symptoma consideretur, cum a potu aqueo tenaciter sustineatur, et magis magisque augescat hinc fit, ut cordis, et arteriarum vis elastica ad motum tam opportuna ~~[illegible]~~ immo, et necessaria plus quam par est debilior evadat, ex quo plerumque sequitur hydrops tamdiu permanens, quamdiu vitae vires à quocumque stimulo incitatae, et auctae in vasis motum accelerant liquidorum, vasaque

vicissim

vicissim absorbentia stagnantes aquas adeo in circulum universalem reducant, ut aquei serosive humores, qui cæteroquin tametsi noxii, vel saltem inutiles in cavitatibus morati fuissent per secernentia dein et excernentia organa propria transeuntes per minimos cutis porulos, vel urinas, vel secessu, a corpore tandem aliquando eliminentur.

Vidi hominem ob contumacem sex mensium febrim quartanam male digestam tandem ædemate artuum inferiorum et ascite laborantem, cui cum aliquando eveniret, ut iracundia, vel erisipelate vel pleuritide, una cum febrili motu, et intenso aliquot dierum æstu, comperetur, tunc pedibus flaccidis, tenuibusque artubus palam apparentibus, ipso primo febrilis hujus attectus die, hydropicus statim tumor omnis evanescebat: tum vero febrili impetu post aliquot dies remisso, tumor artuum cum ædemate, et ascite iterum redibat; quoniam febrili sub impetu vires cordis, et arteriarum simul auctæ, validiorem faciunt sanguinis circulationem, a qua in vasa retruduntur elapsæ in cavos serositates.

Quod autem per febrim adventitiam fieri animadvertimus; cur non item fiet proposita victus ratione nimium exsiccantis humidum, simul atque vitæ vires augentis? Experimentis novimus, quod si in abdominis cavum v. g. alicujus canis aqua injiciatur, indeque, post aliquot horas ei venter aperiatur, nullam inde aquam jam intus inductam reperiri: vis enim musculorum abdominis, quibus viscera continentur, id agit, ut cogat aquam injectam subire porulos inhalantes ab interna superficie peritonei, cujus textura cellularis tamquam spongia necessario absorbet aquas, quæ inde in venas transeuntes eo citius in circulum movebuntur, quanto major erit vis cordis, et arteriarum.

Adolescentem annorum sedecim aetati laborantem hydrope inspexi. Ante morbum erat alacer, temperamento sanguineo, vividus, atque etiam somnambulus. Mutato domicilio, ubi puteus aderat, a quo perniciosae seu nimis gravitantes aquae hauriebantur derepente cibi appetentiam amiserat, jamque debilitatus languebat pallescentibus flavo colore genis; pedesque tumebant, atque artus inferiores, indeque caeteras corporis partes leucophlegmaticus humor occuparat: sex hebdomadum curriculo in magnum ascitem incidit contra quem Medicae artis Periti remedia pene omnia, quae in hujus cura morbi usu veniunt, administrabant, nullo ferme felici eventu. Ad instituendam paracentesin in consilium vocatus Chirurgus suasit Parentibus Adolescentis hydropem quantumvis ingentem sanari utique posse, nulla etiam adhibita paracentesi, aliove pharmaceutico remedio: modo a cibo potuque aeger satis vellet abstinere. Consilium rationibus, et exemplis stipatum acceptum fuit. Quum igitur cibus, et potus in dies minueretur, quinto jam a consilio die praeter jusculum gallinae nihil sumserat Adolescens: die sexto, pane dulciario, (biscochum vocant) cum paululo vini syracusani sibi fefellit famem, et sitim; idemque accidit ad decimum usque diem, quo tumor ventris et artuum admodum minui palam visus fuit: undecimo die alvus mota est haustulo leniter purganti, qui dejectiones dedit quatuor liquidas, et flavescentes; unde etiam copiosior fundebatur urina, atque rubra ut moris erat. Verum cum ~~ingenti~~ pertinaci faucium, et oris ardore ita aeger torqueretur, ut somnum capere vix posset, singulis duabus horis spongia frigido lacte madida modo aqua nitro exsaturata ei sugenda praebebatur. Hydrops in dies minor cum videretur sanationis certitudinem amicis, et Parentibus tuto pollicebatur diligens Chirurgus. Decima sexta ~~sexta~~ die leni purgante ex manna rhabarbaro, et cremore tartari confecto jam

iterum

iterum movebatur alvus; sequenti die neque hydrops, neque tumor in cruribus visi sunt, adeo ut æger secum ipse gavisus, rogaverit ut cibus sibi paululum largior preberetur. Undevigesima die pulmentum sumsit pro jentaculo, alterumque pro prandio, cui duliciarii frustulum panis addidit; pro cœnâ vero aliquantulum panis, e prunis conditi lætus comedit, vinumque bibit aqua dilutum; itaque vires olim inedia, morboque fractæ in dies reficiebantur: sed cum circa pedes et crura tumor aliquis adhuc appareret, duodetrigesimâ die radicem hypecacuanæ in tenuem pulverem redactæ ad ℈j Magister artis ei præbuit, quæ post horam ventriculum movit, intestinaque dejectionibus crebris, et aquosis, postquam ad vomitus stomachum provocasset. Deambulatione, et siccioribus edulis caute adhibitis tandem aliquando feliciter convaluit puer, et qui ejuscemodi infirmitate laborarat jam per tres annos optimâ gaudet valetudine.

Liceat mihi item alia afferre exempla (a) quibus compertum habemus hydropicorum nonnullos hâc eâdem methodo sanatos fuisse. Ab omni prorsus potione per mensem abstinuit quædam hydropica; ut sitim compesceret tenuem tosti panis particulam spiritu vini intinctam super linguam detinebat, quo saliva valde movebatur; itaque convaluit.

Pharmacopolæ cuidam corpore obesiori intumuerant crura, venterque turgescere inceperat, cum ab omni statim potu per dies triginta abstinere decrevit, abstinuitque; quo factum est, ut a morbo hydropis liberatus fuerit: In eumdem morbum relapsus spem recuperandæ valetudinis ab eodem experimento repetit.

Celebris est historia Samuelis Ongly equitis aurati Londinensis hic vir opulentissimus cum septuagenarius esset, in hydropem incidit; cumque Medici doctissimi ejus morbum arbitrarentur insanabilem, secum ipse statuit

a

(a) à Lystero deprompta

a potulentis quibuscunque sibi esse omninò abstinendum: intolerabilem sitim per aliquot menses forti animo sustinuit, convaluitque, et post sex adhuc, vel septem annos vixit ab omni hydrope immunis.

Novimus experimentum, quo curatur Hippiatris intumescentia crurum equorum; qui dum hoc malo afficiuntur decumbere nequeunt, unde tumor augescit, et insuperabilis quandoque evadit. Hippiater curæ equi attendens vix duas aquæ libras pro potu mane, et vespere, equo præbere tunc solet, usque ad dies sex vel octo quo tempore sanatur equus et humi iterum ad dormiendum procumbit.

Nos non fugit quod Pastores Sveci, Danique hoc eodem modo medeantur ovibus. Non raro enim in illis regionibus pecudes per arva vagantes, humido nimium aere, et plurimum referta; ibique pabula dum quærunt, sæpe sæpius aquosa, lymphatico tumore artuum et hydrope ipso quandoque ascite afficiuntur. Quapropter Pastores id satis experti sibi dilectas oves in stabulum agunt, sanantque præbendo fœnum, et edulia sicca, valde modico, interdum nullo potu admoto; neque egredi intereà sinunt e stabulis, nisi artubus siccis, tenuibusque palam apparentibus, quod fit sæpius primâ, vel rarius secundâ hebdomadâ.

Hoc igitur medendi modo veluti meliori, tutiorique non solum ægris, qui non adeo gravi laborant hydrope, verum etiam iis quoque hydropicis, quorum salutis non nisi dubia relinquitur spes, artis peritum consulere posse, non impudens, ausim affirmare, utpote quibus magis prodesse potest ab omni potu, constanti potius animo abstinere quam certæ morti se se committere.

Neque hic tamen prætereundum et non raro evenire, ut sanguinis textura in quadam hydropis specie adeo vitietur, ut globuli cruoris veluti ab invicem sejuncti, rariores evadant, neque iccirco suo stimulo haud satis idoneo queant inertem motum cordis celeriorem facere; quo in casu oportunum ducimus unà

cum

cum mox propositâ victus ratione exiccante, ea etiam remedia adhibere, quorum proprietas valeat sanguinis elementa componere: Quod arte præstitum fuisse arbitramur ab Olao (a) Borrichio, referente, hominem sexagenarium ab hydrope ascite ad extrema redactum abdomine maximopere tumente, cæteris item partibus quadam veluti macie confectis, urina vix, ac ne vix quidem guttatim fluente, alvo pigerrimâ, hippocraticâ facie, vigiliis defessum, cibique appetentiâ carentem, et quod magis erat miserandum, quodque malorum erat cumulus, hæmoptysi accedente adeo gravi, ut à tussi violentâ ad libram usque sanguinis è faucibus ejicere cogeretur: ad sanitatem tamen mire redactum fuisse. Cum vidissem (inquit Borrichius) à potulentis diureticis, acidis, vel alkalicis, nihil profici ob inertiam præsertim, debilitatemve vasorum pulmonis, medicamentis, quæ molles intestinorum fibras exiccare, eisque robur addere potuissent, opinatus sum me uti oportere. Humores aquei, quos gummi ~~gummate~~ guttâ, et jalappâ educere cœperam novis, solum in viscerum cava, effusionibus serosis, locum parabant, adeo ut æger, ne à fortioribus ejusmodi medicamentis, ullum caperet levamen: cumque morbus invaluisset etiam contrà remedia martialia, sudorifica, tincturas è sale tartari, pulvereque lumbricorum terrestrium et alia; ut viscerum fibræ nimium debilitatæ roborarentur, consilium dedi, ut æger uteretur solo decocto lignorum guajaci, sassafras, lentisci, atque chinæ, donec exudantes hydropis fontes exiccarentur: quo tandem factum est, ut hydropicus tumor in dies minui palam visus ~~fuit~~ sit, urinis majori copia fluentibus, alvo per jalappam eodem tempore mota, ut facilius, tutiusque educerentur aquæ: ac tandem ad integram perductus sanitatem, antea desperatam, nunc per urbem vagatur sanus, novamque imò sponsam ducere

(a) in Act. Acad. Hafn.

ducere secum animo cogitat.
Hinc sequitur in quocumque ferme hydropis genere summopere vitanda esse potulenta omnia aquosa, utvis, diureticorum vel aperientium nomine decorentur. Quandoquidem etiam compertum habemus ipsum aerem humido, seu aquoso vapore refertum caussam esse hydropis: Atque hinc intelligimus cur homines, palustribus in locis, vitam degentes, bibentesque stagnantes ibi aquas, ipsiusmet ratione loci cachexia afficiantur, et insanabili hydrope correpti (ut in quibusdam Magnæ Etruriæ locis observatum est) tandem aliquando moriantur. Qua quidem in re liceat mihi obiter notare Florentini Magistratus Auctoritate, nonnullorum delictorum sontes ita puniri, ut non ad triremes quidem damnentur, sed ad Tyrrheni maris littora quæ perniciosus, sicuti humidus, atque salinus ambit aer, ut ibi pœnam luant, ibi etiam lentâ nece morituri. Vidimus eorum dissecta cadavera, veluti inter aquas corrupta præbere viscera, glandulas mesenterii, lienem et hepar mole insigniter aucta dum ægri vitam agebant, a stagnante in hisce partibus lymphâ paulatim obduratâ, omnique dein propemodum motu icirco destitutâ. Hominae autem viscerum ejusmodi moles, et obdurationes tamquam scirrhosæ affectiones habentur ab iis, qui putant has semper esse caussas hydropem ~~sibi~~ producentes: quod quidem ita aliquando evenit, at (ni mea me fallit opinio) multo admodum rarius, quam laudati Doctores statuant. Enim vero ejuscemodi obdurationes, ut plurimum hydropis effecta potius, quam ejus morbi caussas efficientes esse, ex eo facile probari potest, quod cum hæc organa, parvis donentur arteriis, multumque venosi sanguinis interius admittant, propter innatam vasorum laxitatem irreptus sanguis lente progreditur. quæ laxitas ab hydrope ipso augetur; atque hinc fit, ut serosus humor aqueus in abdominis communem alveum per exhalantes poros exsudet

exsudet, pars vero cruoris lymphatico caseola concrescat, densior concervetur, tenaciorque retineatur, seu parietes vasorum iccirco distendantur, majoresque adquirant diametros, quam ob rationem vim contractilem amittunt: atque ideo intelligitur, cur in sectis hydropicorum cadaveribus ita duritie, et mole insigniter aucta ejusmodi viscera reperiantur. Hinc locus fit animadversioni, ad prognosin, et curationem hydropis, admodum opportunæ. Siquidem a signis mortum indicantibus, ejusque ætiologia deducendum esse autumo, hujusmodi ne obstructiones hydropem effecerint; an vero præexistente hydrope producta fuerint. In primo etenim casu, ut in strumosis affectionibus, vel in lue venerea, similibusque jam prægressi morbi effecta censenda sunt: tunc enim Hepar, Lien, glandulæque etiam mesenterii obstruuntur, vasaque venosa coercentur, et nequeunt sanguinem ad cor remeare, non secus, ac si laqueo obducta fuissent: ex quo fit, ut a reffluente sanguine incessanter a corde per arterias ad partes misso, inferiora obstructioni vasa amplientur, quæ majores aquisita diametros, per textum cellulosum, atque inde in communes alveos serum lympharumque irrepere sinunt. Cujus quidem rei, ne dubium aliquod, vel leve supersit, probata Loweri experimenta (d) afferam, demonstrantia, quod si laqueo stricta sit infra cor vena cava, brevi ascites inde suboriatur, aqua repleto abdomine: si vero jugulares ligentur, tumor œdematosus ex impedito sanguinis per venas circulo, hydrocephali ad instar superveniat. Quamobrem statim ac, glandulosa imi ventris viscera, obduratione promovente hydropem affici censeantur, tunc illico ad hydropem impediendum, ejusdemque originem tollendam adhibitis, quæ opportuniora videantur subsidia, admodum tamen cautè administrentur remedia, quæ virtutem aperientem

obtinent

obtineant, ipsique met hydropi tanquam morbo, qui timeatur obviam ire queant, vel eumdem forte jam introductum e medio tollere valeant, ne priori non bene cognitâ, seu non sublatâ causâ hydropem in ægri perniciem accedere, aut forte jam introgressum haud abire, aut etiam quem arte quondam feliciter arcebamus iterum redire, serius plus quam par est, et inconsulto videamus.

Concivem ægrum, annum agentem circiter vigesimum quartum, optimo quidem temperamento naturâ donatum; at variis non modo per Italiam, Galliam, et Angliam itineribus, verum etiam venereis morbis, et quod pejus erat ipsâmet remediorum copiâ summopere debilitatum, invisendi occasio mihi sese obtulit. Cura, et consilio Londinensis Pharmacopolæ mercurium sublimatum corrosivum Londini sumpserat, quum jam pillulas de Keyser magno quidem numero Lugduni olim sumpsisset. Ab illius violenti usu remedii miserum in modum torqueri viscera abdominis, gravique respirandi difficultate, tussique permolestâ affici pectus adfirmabat; Abundanti tunc usu lactis, copiosâque hordei, et orizæ aquæ potione, mala quibus antea angebatur domare sibi blandiebatur, quæ hujusmodi remediis leniri feliciter sentiebat. Verum quum pedes, et crura lymphatico, albo tumore turgescere videret, omnem quam in Londinensis Pharmacopolæ medicinâ fiduciam habebat, amisit; atque ad hanc urbem Parisiorum appulit, ad quam cum primum pervenit, toto jam corpore tumens, miserrimèque jacens, quosdam in consilium medicos artis peritos adhibuit, qui cum de medendi modo, et remediis secum ipsi agerent, alii alia sentientes: Nonnulli hydropem in pectore futurum, vel jam factum existimantes ptisanas ex infusione

lignorum

lignorum paratas ad excitandos sudores ebibendas esse dicebant. Qui vero de scorbutica lue incolas in Anglia, atque advenas adgrediente, suspicabantur, ægro medendum esse adfirmabant remediis, quæ antiscorbutica vi pollere dicuntur; alii denique certiorem, citioremque salutem ægro affuturam prædixerunt, modo alternis uti vellet tum mercurio, tum balneis. Postremis hisce remediis veluti citiorem, tutioremque spondentibus valetudinem æger committere se maluit. Quum igitur alternis diebus inunctiones e mercurio, et balnea fierent, phlegmaticus cum dolore in artubus tumor in dies augeri adeo videbatur ut a quarta inunctione, e lectulo in balneum transferri æger vix potuerit. Sequenti die in omnibus pene juncturis ossium exorti sunt dolores vehementissimi, in genubus præsertim brachiis, dorso, et scapulis; anhelans fiebat respiratio, quodam veluti pondere, ita premente pectus ut spiritum ducere vix posset; jamque agrypniis, doloribusque vexatus atrocissimis, omnique aliquo motu destitutus, mortem veluti solatium sibi ipse quærebat, potius quam in tanta rerum calamitate versari. Quapropter consulti iterum sunt artis periti statuentes, abstinendum illico esse a mercurio, et balneis; viscera sero lactis diluenda, demulcendaque; ventrem leni cathartico, ejusdemque generis clysteribus emovendum; potiones e jusculis vituli, pullique gallinarum ~~esse~~ sumendas. Sensim sine sensu tot mala minui hisce auxiliis videbantur; veruntamen dolores artritici, vix ac ne vix quidem cedebant, torquebantque ægrum vespere præsertim, et summo mane; itaque res per integrum pene mensem se habebant, quo elapso dolores artritici pedetentim evanuere. Verum quum in artubus tumor magis magisque augesceret, atque etiam ingens hydrocele, una cum ascite paulatim exsurgeret, iterum in pejus ire se credidit infelix æger, eaque pro cura hydropis, quæ dari solent pharmaca sumebat. Infusa millepedum in vino albo; decocta radicum, herbarumque aperientium cum salibus Glauberi, de nitro; lixivia e genistæ cineribus parata, successive adhibita fuere; purgantia quoque validiora parum, aut

nihil prodesse videbatur. Interea toto vehemente in dies abdomine, fluctuantes palam sentiebantur aquæ, multa quidem copia collectæ, ut æger ipse lento se gressu morti obviam ire putaverit. Empirici, secreta, scilicet ad omne morbum habentes, clam vocati, qui tametsi cæteris audentiores, cum ægrum tamdiu jacentem vidissent, se nimis tarde arcessitos dixerunt, et dubiam prorsus tanto malo medelam reliquerunt in elixiriis suis. Quum autem de paracentesi instituendā sermo haberetur inter adstantes aliqui, alium artis peritum commendaverunt, appellaruntque. Hic haud fallacem sanationis spem dedit ægro, tunc illi, mihique confidenti, qui simul unà decrevimus ab omni potu, præsertim aqueo abstinendum esse, eodemque tempore viscera roboranda jusculis alternis diebus parandis e vitulo, et extractis herbarum cherefolii, cochleariæ, helenii, cui parum addebatur pulveris millepedum, et arcani duplicati. Prandebat crustulo panis carnium jure madido, cui haustulum addebat vini, idemque pro cœnā vespertinā. Quoties autem jusculum mane sumeret, solvebatur alvus nunc bis nunc ter in die; itaque ad duodecimum usque diem quo tempore tumor ventris, et artuum quotidie minui palam videbatur: hinc respiratio quoque facilior, et somnus largior habebatur: ut autem citius dissiparentur aquæ, miti purgante ex manna rhabarbaro, et sale de duobus confecto ciebatur alvus decimā quartā die. Ad sitim compescendam frustula aurantiorum in ore detinebat æger, et ita usque ad vigesimum diem quo iterum purgante movebatur alvus. Sequenti vero die vix circa pedes tumor aliquis adparebat; nullaque in abdomine fluctuans sentiebatur aqua. Quamobrem cibus ei dabatur e carnibus avium assatis pro prandio, et cœnā. Verum post dies octo, pedes, cruraque iterum turgescere videbantur, iterumque purgans dabatur simulque parcior victus ratio ad tres, vel quatuor dies, quo quidem modo tumor omnis, qui in cruribus adparebat, tollebatur. hic autem tumor toties redibat, quoties ad reficiendas vires largiori alimonia utebatur. Quod cum ita pluries

evenire-

eveniret, non ignarus, caussam olim tot malorum e morbo venereo genitam, opinatus sum, tempus opportunum esse, ut hydrargirum, prudentiori methodo, uti fas erat, adhiberetur, ad eumque, veluti ad sacram anchoram, confugiendum esse: itaque sublato supradictis auxiliis hydrope, ejusd. quoque caussa tolleretur idoneâ medelâ; hanc vero caussam adesse senseram in hepatis, aliorumque viscerum abdominis obstructione, nonnisi idoneo domanda remedio. Jussi igitur ægrum sibi corpus inungere unguento mercuriali, eodemque tempore alimenta capere quæ deficientes adeo vitæ vires reficerent, easque roborare moderatâ equitatione, et exercitio; semel tantum in hebdomadâ inunctiones fieri mox duabus, modo tribus, mox etiam quattuor unguenti drachmis, ne dato tempore majori quantitate remedii plus quam par esset solverentur elementa cruoris, viresque hunc moventes debilitarentur. A secunda inunctione veluti revivisscere semet ipsum percæperat æger, et quamdam in artubus ad motum quemvis producendum persenserat libertatem, quam à duobus, pene tribus annis miser amiserat, cruraque perinde graciora in dies videbantur. Rebus itaque se se bene habentibus rogavit adolescens sibi cibum dari largiorem, uti moris erat, dum bene valebat, comeditque, summopere sibi gratulatus nullum exinde tumorem circa pedes oriri. Corporis superficies nihilominus ungebatur semel in hebdomadâ, quandoque etiam segnior ciebatur alvus adposito clystere vel assueto leni purgante. Hac medendi normâ ad sesquialterum mensem perductâ, optime tandem convaluit. Per decem adhuc dies juscula sumpsit medicata, et lac vaccinum, indeque robustus, et pinguis etiam factus ab urbe discedit, et in Patriam Italiam rediit.

Nobis nunc liceat, quædam hinc corollaria inferre. Ab hac enim vel aliis hujusmodi morbi historiis. Colligitur 1.mo Morbum venereum neque bolis de Keyser, neque sublimato mercurio corrosivo, satis edomitum fuisse: imo etiam hisce remediis augeri potius mala, et in pejus ire visa fuere. 2.do Ejusdem luis reliquia remotam fuisse caussam hydropis,

qui

qui tamen sanari congruo remedio nullo modo poterat eo ipso tempore, quo totus homo ingenti aquarum copia undique premebatur. Crediderim enim mercurium ea mala tunc temporis ~~ } augere potius, quam tollere potuisse magno equidem ægrotantis periculo. Siquidem vires in ægro moventes, non adeo validæ fuissent, ut agerent, uti decet, in atomos mercuriales. 3°. Hydropem tolli non potuisse cæteris aliis auxiliis, — nisi adhibitâ a potu abstinentiâ, una cum victus ratione exsiccante, roborante; qui medendi modus, cum solus hydropem abstulisset; caussam tamen, quam reliquerat nonnisi ope mercurii prudenter adhibiti sublatam fuisse: Quapropter summopere necessarium ducimus hanc illamve medendi rationem alternis opportunisque temporibus adhibendam esse.

Quum igitur satis superque constet in omni ferme hydropis genere aquas dissipari supradictis auxiliis, cumque hydrops primarius aliquando morbus ~~non~~ sit, sed alterius morbi symptoma, uti videtur, in lue venereâ, scorbuticâ, cæterisque; animadvertere opportunum ducimus summopere necessarium esse statim, ac hydrops sublatus sit, morbis quoque primariis, seu caussis ejusdem hydropis aptissimis adminiculis esse medendum: Ausim enim asserere quod hujusmodi in casibus præstiterit hydropem, seu symptoma alterius morbi, ante morbum ipsum, edomare, ne tempus absumendo, uti sæpius evenit, incassum, in primarii morbi curâ, æger ipse, intereà, tandem aliquando de medio tollatur.

Quid plura! Nonne certo novimus celebrem

virum

virum D. Tronchin hujusce Acad.ae socium Praeclarissimum hac eadem methodo quamplures sanasse hydropes caeteris derelictos auxiliis.

Verum adhuc ne Paracentesis instituere prodesit? Mihi animo non est hanc medelam prorsus infirmare, sed tantummodo rarius, prudentiusque adhibendam esse, quum periculo suo non vacet ut alii jam antea notarunt. Saepius enim vidimus, eductis aquis paracentesi, gangraenam accelerari partium prius innatantium. Nonne educta subito e thorace, vel abdomine aqua, in mortem, vel in animi deliquium trahuntur aegri? Ulterius mala, modosque quibus ipsa majora fiunt paracentesis usu, longiori sermone persequi non licet. quamquam autem haece mala arceantur partim ope fasciarum totum abdomen circumdantium, et decubitu aegrotantis ad horizontem parallello, atque etiam apposita manuum adstantis compressione eo ipso tempore, quo paracentesis instituitur, ita, ut vitalis motus conservari possit: nihilo tamen minus, e dictis abunde patet, satius esse aquarum resorptionem inquirere exhibita methodo, quam earum eductionem instituere, paracentesis auxilio: hac illam longe praestare, esseque utiliorem. Felix equidem ~~te~~ mihi gratularer si vestra suffragia Praeclarissimi Patres Academici hisce meis ~~[illegible]~~ arrideant quamvis pingui Minerva prolatis, multoque etiam felicior, si hac proposita methodo, a gravi hydrope tandem liberentur aegri, et pristinam recuperent valetudinem.

No. 36